

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

publicè exhibitam, cuius argumentum erat: Academiam Parisiensem super monstrum esse fundatam. Natalis Beda existimans id in se fuisse dictum, comitia totius Academiæ convocanda curavit apud D. Maturinum, ut de pœna autori irroganda statuerent facultates. Res delata est ad inquisitores fidei, sed nihil haec tenus factum est præterea. Admonendus est Omphalius noster, ne ipse quoque ejusmodi salibus Theologorum animos in se irritet: nam semel irritatos vix magno negotio compesceret, id quod ego superioribus annis meo malo ferme didiceram, cum inhiberetur, ne pueris tua colloquia in collegiis prælegerentur. Nam ubi ordine suffragias ferrentur in natione nostra Germanicâ, censui prælegenda tantisper, dum D. Theologi non cudissent meliora, ac quam plurimi nationis Germanicæ ibant in meam sententiam, reclamantibus tamen aliquot Theologiae Candidatis, quod timerent, opinor, extremum locum in ordine promotionis (ut vocant) Ibi enim ejusmodi injurias vindicare solent. Bene vale, mi Erasme, ac me (si labet) utere velut mancipio ad omnia addictissimo. Parisiis ex vico Sorbonico, tertio Calend. April.

Anno 1532.

D. Gerardus Suckerroe, Canonicus Trajectensis, Doctor medicus, te plurimum salutat, homo tui profecto studiofissimus.

*Tuus ad omnia*

### Gerardus Morrius Campensis.

#### XXII.

Leonardus, DEI gratia, Abbas Monasterii Montis  
Sancti Georgii in valle Einr.

S. P. D. Nemireris, Erasme doctissime, quod ignotus ad te scribam. Ignoratus ego tibi, tu mihi jam olim notissimus es & quotidie cum diviniore parte tui confabulor. Sunt enim & inter Abbates nonnulli & inter Monachos quamplurimi, tui studiosi. Ceterum nos te colimus præcipue, qui à complurium Abbatum & Monachorum superstitione simul & odio studiorum rectorum sumus perquam alieni, tibi ruique similibus quam deditissimi. Nec aliud in cucullo agimus, quam ut boni Christiani simus, utque à nullo hominum genere honesto nos discretos arbitremur. Sed quæ causa mihi tamen ad te scribendi? Chilianum hunc nostrum, tuum veterem discipulum, videndi tui cupidum, Basileam mitto, bonis literis operam daturum, huic eidem quæso, optime Erasme, pro tua in omnes homines excellenti ingenio præditos benevolentia perpetua, fautor bonus, commendatorque

N n n n

ad fis.

ad sis. Idque me jam duobus verbis sic à me petere existimes, ut petere contentionem  
majore haudquam possum. Est mihi tenui monasterium, quod cum Antece-  
torum meorum negligentia penè eversum esset, mihi creditum est instaurandum. eoq;  
factum, ut huic fratri meo pecuniam in sumptus necessarios suppeditare minus po-  
tuerim. Huic tu ad omnes res uno verbo commodare multum valebis, ut pa-  
riter & sumtu minore isthic agat, & in consequendo, ut vocant, gradu quopiam,  
constituta antiquitus tempora anteveniat. Quem morem in quibusdam gymnasii  
adhuc servari audio, ne cui ante impletum tempus statim titulus contingat, has literas  
amanuensis nostri germanicis characteribus scriptas, oro, boni contulas. Vale.  
Ex monasterio nostro, Nonis Majis. M. D. XXII.

## XXIII.

*E. R. Theologo doctrina, vita, moribus integerrimo,  
suo colendissimo. s. d.  
Friburgi Brisgavie.*

L iteris illis tuis humanissimis, quas detulit ad me Andreas Sacerdos, respondi nu-  
per, Erasme colendissime, curavique per manus Maximiliani Transylvani meas  
tibi reddendas. An acceperis nescio, puto autem accepisse, licet ego ex te aliud  
acceperim nihil, quippe absens à Brabantia plures dies fui apud Reverendiss. & Illu-  
strissimum Principem Electorem Archipræfulem Coloniensem, qui te unice & amat  
& veneratur. Sapissime nobis sermo est de tua integerrima & invincibili doctrina.  
Sunt apud illum multi tui nominis præcones, inter quos Tilemannus de Fossa, cui  
nominis cultor studiosissimus. Hic cum narrasset, se habere oportunum ad te nun-  
ciū, iniquum duxi, illum abite meis literis vacuum, et si nihil habeam, quod nunc  
ad te scribam aliud, quam esse me tibi perpetuo addictissimum, obligatissimumque,  
qui me hominem ignotum & humilioris literaturæ prior illustrare tuis literis digna-  
tus es. Cum ergo ea sit humanitas tua, quod præclarus obscuri literas non despici-  
cis, parcito huie audaciae meæ, si te rogo, ut mihi per ocium aliquando rescribas.  
Spero siquidem inde brevi futurum inter nos etiam de magnis rebus ultro citroque  
sapissime scribendi & rescribendi argumentum. Vale felicissime. ex Agrippina  
Colonia, 17. Martii, 1532.

Adhuc per mensem unum hic mansurus sum, deinde redditurus Brabantiam.

*Ina Præstantia deditissimus*

*Henricus Cornelius Agrippa  
Manu propria.*

XXII.